



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De peccatis quæ post hanc vitam dimittuntur. De his qui ædificant aurum,
argentum, lapidem, lignum, fœnum, stipulam. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

DISTINCTIO XXI. 809
DE PECCATIS, QUÆ POST HANC
vitam dimittuntur.

DISTINCT. XXI. A

Soleretiam quæri. Vtrum post hanc vitam aliqua peccata remittantur? Quod aliqua post hanc vitam remittantur, Christus ostendit in Euangelio, ubi ait. Qui peccauerit in Sp. S. non remitteretur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro, Ex quo datur intelligi, sicut sancti doctores tradunt, quod quædam peccata in futuro dimittentur. Quædæ enim culpæ in hoc seculo relaxantur: quædam vero parua et in futuro, quæ quidem post mortem grauant: sed dimittuntur si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt, vt dimittantur eis. De illis et, qui ædificant lignum, fœnũ, stipulam, dicit Aug. quod ignem tribulationis transitorie inueniẽt, cremabilia ædificia, quæ secum portauerunt homines cremantem. Ait enim sic, Post istius sane corporis mortem, donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis & remunerationis: si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum, qui ædificauerunt lignum, fœnum, stipulam, huiusmodi ignem dicantur perpeti, quem alii non sentiunt, qui huiusmodi ædificia non portauerunt, vt inueniat ignem transitorie tribulationis venialia cõcremantem: non redarguo: quia forsitan verum est. Sed quia dicitur, Saluus erit quasi per ignem, contemnitur ille ignis. Grauior tamen erit ignis ille, quam quicquid potest homo pati in hac vita. Hic aperte insinuatur, quod illi, qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, quædam cremabilia ædificia, id est, venialia peccata secum portant: quæ in igne emendatorio cremantur. Vnde constat quædam venialia peccata post hanc vitam deleri.

Quod alij citius, alij tardius purgantur in igne. B

In illo autem igne purgatorio alij tardius alij citius purgantur, secundum quod ista pereuntia magis

Matth. 12. a

Luca 12. b

Greg. c. 39.
lib. 4. dialo.

1 Cor. 3. e.

Aug. ad
uers. Ps. 35.
1. Cor. 3. e.

In Enchi.
99. intro. 3.